UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

22. Maij. 11. Cal. Junij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

& nec cadere, nec dejici formidabimus. In cœlis petra, in illa firmitas atq; ſecuritas eſt.

22. *Maij.* II. *Cal. Junij.*

Circa annum 1201.

B. HELSUINDIS, nobilis Patricij Aquenſis filia: quæ invitis parentibus ſuſcipiendi Ordinis Ciſtercienſis avida, adhuc parvula per culinæ feneſtram in monaſterium S. Salvatoris irrepſiſti: nec alia conditione revocantem matrem ad domum paternam ſecuta es, quàm accepto promiſſo non denegandi poſt menſem reditûs. Sed cùm ficta identidem procraſtinatione deludi te cerneres; clam aufugiens, eâdem, ut priùs, januâ aditum inveniſti. Quamvis autem parentes te per vim denuo reduxerint, importunis tamen precibus deſideratum eorundem conſenſum impetraviſti; gratulantium ſibi cum temporis decurſu, cùm nempe, translato ad Porcetum cœnobio, in celebri ſanctimoniæ laude florentem loci illius Abbatiſſam aſpexerunt. *Hic Divinæ providentiæ mos eſt, ſuis adeſſe, cùm ab auxilijs humanis deſeruntur. Tu ora, ut licèt malignus ob peccata mea mihi perſua-*

Vocationis divinæ modi varij.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perſuadere conetur; projectum me eſſe à facie Dei: firmâ tamen in ejus miſericordiam fiduciâ roboratus, non deſiſtam per bona opera certam facere vocationem meam. In Deû fiducia.

S. BERNARDUS, *ſer. 56. in Cant.*

Prope eſt Dominus ſanctis & electis ſuis, etiam cùm longè eſſe videtur: at non æqualiter omnibus; ſed aliis plus, aliis minùs, pro meritorum diverſitate. DEUS ſemper prope eſt.

23. *Maij.* 10. *Cal. Junij.*

B. GUILIELME, Monache & Sacerdos in Claravalle: cujus innocentiam plurimis DEUS favoribus donavit, præſertim in revelandis conſiliorum ſuorum ſecretis. Inter quæ illud ſingulare: dum aliquando ad divinum Tribunal raptus, vidiſti, ab irato Judice mundi in maligno poſiti ſcelera per univerſalem pœnam vindicatum iri: Matrem tamen Miſericordiæ audiſti his verbis ſeſe ferali ſententiæ interponentem: *Parce, dilecte Fili mi, parce, etſi non propter illos, ſaltem propter amicos meos, perſonas* ORDINIS CISTERCIENSIS. Quæ Clementia

Floruit anno 1222.

Mariæ favor erga Ciſtercienſes.